



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton


Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXIV. Christus crucifixus, ut obominandam peccatorum nostrorum lepram curaret, ipse leprosus fatus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

tuo protexeris auxilio, hoc utique die de proclama. Item: Lateris Crucifixi
 Vulnus satis amplè pater: at ni DEUS adjuvet, faciam, ut ampliùs pateat.
 Ecce hujus Sancti amorem & timorem erga Crucifixum JE-
 SUM. Imitare.



CONSIDERATIO XCIV.

Christus Crucifixus, ut abominandam peccatorum nostrorum curaret lepram, & ipse leprosus factus est.

*Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse
 portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum
 Isa. 53. 4.*

I.

Ubi pretiosissimus orbis melioris Reparator Christus Petrum,
 Jacobum & Joannem per ingentem piscium capturam ad sui
 sequelam vocavit, leprosum hominem ad se venientem per
 extensionem manùs suæ curavit, de quo S. Lucas: *Et ecce vir
 plenus leprâ, & videns Jesum, & prociens in faciem, rogavit eum,
 dicens: Domine si vis, potes me mundare: Et extendens manum tetigit eum, dicens:
 Volo: mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.*

Luc. 5. 12.

Observa: Leprosus erat universum genus humanum per peccatum
 protoparentis nostri Adami, quæ lepra hæreditaria in omnes ho-
 mines pertransiit: *In Adam omnes moriuntur;* Leporam prædicti hominis
 Christus per extensionem manùs suæ sanavit; in cruce extendens ma-
 nus suas exitialem peccatorum nostrorum lepram mundavit. Quis
 igitur ad talem ac tantum Medicum non libenter accedat, quia & ipse
 in cruce pendens tanquam leprosus reputatus est: *Vi. timus eum, & nos
 erat ei species neque decor; & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussimus à
 Deo, & humiliatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attri-
 tus est propter scelera nostra.* Collige ex hoc anima Christiana immensum
 piet-

1. Cor. 15. 22.

Isa. 53. 2.

pietissimi Redemptoris tui erga te amorem, dum in passione leprosi formam assumpsit, ut lepram tuam in se susciperet, & curaret: *Et li-
vore ejus sanati sumus.*

2. Consideremus patientiam & lepram Jobi, quam nobis propo-
nit S. Jacobus Apostolus: *Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidi-
stis: quoniam misericors Dominus est, & miserator.* Adverte: Job expressus
typus fuit Christi patientis. Ille perdidit omnia, Christus in cruce pri-
vatus est bonis omnibus, quin & vestibus, hinc nudus pependit *in cruce.*
Job septem suos perdidit filios: Christus omnes suos discipulos, qui
eo comprehenso fugerunt. Job percussus est ulcere pessimo à capite
usque ad talos: Christus toto corpore & in membris omnibus acer-
bissimos perpeffus est dolores. Job ab amicis gravia sustinuit oppro-
bria, à quibus appellatus est hypoerita, leo, tygris &c Christus in cru-
ce irrisus est quasi blasphemus, seditiosus, & percussus à Deo. Job le-
prosus extra civitatem suam ejectus est, sedens in sterquilinio: Et licet
qui exitiali leprâ infecti sunt, abominabiles esse solent etiam fratribus
ac amicis suis, de quo dictus Job: *Fratres meos longè fecit à me, & noti-
mei quasi alieni recesserunt à me:* Sic & Christo Jesu accidit, quem tan-
quam leprosum abominabantur, & fugerunt Judæi; & quemadmo-
dum homo leprosus, & toto corpore insanabili leprâ maculatus intuen-
tibus sui horrorem incutit: ita Christus toto corpore flagellis & vul-
neribus lividus, horrorem simul & commiserationem aspicientibus
commovebat, ut meritò Pilatus illum proponens Judæis dixerit: *Ecce
homo,* quasi homo in homine tam miserabili esset quærendus. Et hæc
omnia Jesus tuus pro anima tua peccatrice? O prodigium amoris!
proinde meritò S. Augustinus: *Nihil, inquit, tam saluterum, quam quo-
tidie cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus & homo. Ecce enim Salvator pas-
sus est, leprosus in cruce factus est, patiens factus est, vobis relinquens exemplum,
ut sequamini vestigia ejus: quod si feceritis, infirmitatem non molestè portabitis.*

3. Olim voluit DEus, ut judicium inter lepram & lepram penès
Sacerdotes esset Aaronicos: *Quicumque ergo maculatus fuerit leprâ, & sepa-
ratus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste
contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Christus in cruce tanquam
leprosus vestes habebat dissutas, milites enim sciderunt non vestes tan-
tum sed & carnem ejus. Caput habebat nudum, & solâ spineâ redi-
mitum coronâ: Os veste contectum, unde Isaias: *Quasi absconditus
vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Contaminatus & sordi-
dus erat, quia totus cruentus, unde per os Prophetæ Threnologi cla-
mavit: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor,
sicut dolor meus.* Leprosi caro erat vilissima & abjectissima: Christus
Ginther *Unus pro omnibus.* Y y ait:

Job. 5. 11.

Job. 19. 13.

S. Aug. serm.
32. ad Frat.
in Eremo.

Levit. 13. 44.

Isa. 53. 3.

Thren. 1. 12.

Psal. 21. 7.

ait: *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebi.* Leprosi denique urbe pellebantur, & nemo illos aditu, congressu, & sermone dignabatur: Sic & benignissimus Redemptor noster extra urbem ad crucis patibulum expulsi est: *Propter quod & Jesus, ut sciret per suum sanguinem populum, extra portam passus est, ut crux Christi, subintrat hic S. Leo, non templi esset ara, sed mundi.* Et pergit Apostolus, ut omnes fideles ad Christum Crucifixum amandum, colendum, & imitandum animaret: *Excamus igitur ad eum extra castra, imperium ejus portantes.*

Vita de S.
Lud. Ep.

4. Placuit autem Christo Domino sæpius Sanctis suis apparere in forma leprosi, prout S. Ludovico Tolosarum Episcopo, qui nepos erat S. Ludovici Galliarum Regis; dum enim aliquando lavaret pedes pauperum, & ad quendam leprosum devenisset, in eo personam Christi agnovit presentem; unde illud leprodochium illi videbatur paradisus.

S. Augustinus simili pauperculo peregrino dignatus est lavare pedes, ad quem exinde Christus, prout refert B. Jordanus de Saxonia: *Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti, ejusque lavare pedes.*

De B. Martyrio refert sequentia S. Gregorius Magnus hom. 36. in Evangelia: In terra Lycaonia Martyrius vitæ valde venerabilis Monachus fuit, qui pergens ad monasterium quoddam, leprosum quendam invenit in via, ad hospitium suum redire volentem quidem, sed non valentem. Eum itaque pallio suo constrictum super humerum levavit, & tulit, vicinusque monasterio, ad quod tendebat, magna voce clamavit: *Currite, januas monasterii citò aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans: statim verò ut Martyrius ad monasterii aditum pervenit, is qui leprosus putabatur, de collo exiliens, & in specie vera Christi Dei & hominis apparens ad cælum rediit, dicens: Martyri, tu me non erubuiisti super terram, ergo te non erubescam super cælos.* Narrabat autem postea Martyrius, quod eum eum portasset, pondus minime sensit; nec mirum, quia portabat portantem omnia. Hæc S. Gregorius.

Ma. 53. 4.

O miseri, sed & felices leprosi, quia & Salvator vester quasi leprosus in cruce reputatus est: *Et nos putavimus eum quasi leprosum.* Non horret vos Dominus, quia similis vobis dignatus est apparere Sanctis hominibus; solum hoc perpendite, ac satagite, ne duplici leprâ inficiamini, videlicet corporis & animæ, quæ est peccatum; illa enim vos ejicit extra castra, hæc autem extra astra.

Math. 27. 24.

5. *Innocens ego sum à sanguine justii hujus: Vos videritis, dicebat quondam Præses Romanus ad populum Judæorum tumultuantem.* Et respon-

respondens populus universus, dixit: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Hoc clamo & ego, sed sub meliori sensu: Sanguis JESU crucifixi, licet leprosi reputati, & à DEO percussi, sit super me, & super animam meam. O pientissime JESU! O Amor crucifixe quomodo poteris condemnare servulum tuum licet indignissimum, quem tam immenso divino sanguinis tui pretio redemisti? Nunc & Sanguis tuus tam pretiosus apud me descendet in corruptionem? Ah meliora spero, qui jam paulatim ad te pergo.

Olim, prout observat Plinius, cum lepra, seu morbus elephantiacus etiam Reges Ægyptiorum invasisset; ex medicorum consilio in humano sanguine se solebant lavare; Quod ferale balneum & Constantino Imperatori Magno tum adhuc Gentili & leproso Romani suadebant Medici; Ast longè salubrior medicina à Deo ei parata est, dum enim à S. Sylvestro sacrum baptisma suscepit, & virtutem S. Crucis agnovit, sine mora à feodissima lepra & corporis & animæ liberatus est.

Naaman vir dives sed leprosus ab Eliseo jussus est, ut se septies lavaret in Jordanis flumine: Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est. Animem! si lepram peccati habes, prout nemo mundus est à lorde: Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis. Vade, & lava te septies in Jordane Passionis & in septem effusionibus Sacrosancti Sanguinis Christi JESU, & sanabitur anima tua à delictorum lepra: Sanguis JESU Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato.

